

## PRAEFATIO

*mē quidem* et *mēquidem*. Necnon per huiusmodi scripturas metrum facilius cognitu reddidi: *eru' noster*<sup>1</sup> pro *erūs noster*, *tuō' dominus* pro *tuōs dominus*, *nemp'* et *perq'* pro *nempe* et *perque* monosyllabice pronuntiatis<sup>2</sup>; et apicibus supra positis metrum indicavi quoties obscurum erat, ut in hoc versu (Rud. 459):

Voluptátem inesse tantam. Ut hanc traxi lubens!  
(ubi apice significavi versum ab anapaesto, non ab iambo incipere), nam altera syllaba eiusmodi vocabulorum<sup>3</sup> in cotidiāno sermone modo longa (*volūptatem*) modo brevis (*volūptatem*) audiri solita; aut in versu hianti<sup>4</sup>, ut Cas. 724 (anap. octonar.):

Bone uir, salue. Fateor. Quid fit? Tu amás, ego  
éssurio et sitio.

His subsidiis ad metrum intellegendum adiutus facile patieris, lector benevole, me in hac editione metricum quem vocant ictum non continuo apicum usu indicavisse. Nolui

<sup>1</sup> Commodius illud quidem interdum quam verius. Nam in versu tali (Capt. 163):

opūs Túrdetanis, ópūst Ficedulénsibus  
quis affirmare audebit prioris et posterioris disyllabi prosodiam diversa ratione extitisse? Quis versum Capt. 826 a spondeo incipere?

<sup>2</sup> Servavi tamen usitatam scripturam in *audin* pro *audisne* et ante consonantem *ac* pro *atque*, *nec* pro *neque*, similibus. Verbum scripsi *in'* (pro *isne*), praepositionem *in*.

<sup>3</sup> Si tamen vel nunquam vel raro diversitas pronuntiationis audiebatur, non erat cur apices adhiberem, ut in his: *volūptas mea*, *enīm* (*vero*), *satīn* (*tutus*), *volō scire*, *apūd* (*templum*), *Philippus* (*aureus*). Quemadmodum enim in Martialis temporibus *smaragdus* brevem alteram syllabam in cotidiāno sermone habebat, sic in Plautino aevo *Philippus*, quae breviatio sine dubio ex primae syllabae accentu (*σμάραγδος*, *Φίλιππος*) orta est. Illud etiam monendum me, sicubi dubitatio extitit aut extare posse visa, plerumque apices apponere noluisse, v.g. in Amph. 949, qui quidem versus me iudice sic scandi debet: ego *ístúc* curabo. | *éuocate* huc *Sósiam* (cf. Cas. 781 et 786).

<sup>4</sup> De hiātu Plautino ut nulla alia de re valde dissentiunt docti. Nam in versu supra dicto quamvis omnes priorem hiatus agnoscant, non